

colloquentibus. Sicut e contra absque dubio cum profana, turpia, et detractoria colloquia fiunt, diabolus in medio adest, exultans, instigans et tripudians.

III. Si studia, labores et industrias nostras consideremus, omnes pene sibi vindicat mundus. Velut enim formicæ discurremus in terra, et totis viribus incumbimus ad victum et vestitum parandum, ad nundinas, ad agriculturam, ad opificia, etc. quibus paupertatem arceamus et divitias comparemus. Sed quid ad hæc Dominus noster? *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt et furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cælo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt*, Matth. VI. et Joan. VI. *Operamini non cibum qui perit; sed qui permanet in vitam æternam.* Ecce industriam nostram Deus petit: petit etiam mundus. Quid ergo faciendum? Optandum quidem esset, ut semper Deo vacare possimus, sed quoniam id nobis impossibile est, dividatur labor, et pars mundo assignetur ad sustentationem corporis, pars Deo ad sustentationem animæ. Itaque nulla dies sine linea boni operis nos prætereat. Si enim Titus imperator nullam præterlabi diem passus est quin alicui beneficeret: et cum id aliquando omisisset, dixit: *Amici, diem peridi*: quanto magis decet, ut nos Christiani hoc agamus? Nos enim quæ hic agimus, in cælo reponimus, et suo tempore inveniemus. Unde si parum ibi reposuerimus, cum potuissemus multa, nonne tunc dicturos nos putamus: *Amici, heu quot dies peridi!* Si querere possemus ex damnatis et purgantibus animabus, omnes pene responderent: *Heu mihi, quot dies peridi!* Domitianus Titi frater prorsus fratri dissimilis et ignavus erat, tempusque in muscis capiendis terebat. Tales sunt, qui soli mundo vacant. Perit itaque labor, quem corpori impendimus: solus ille manet, et reponit lucrum in cælo, quem animæ impendimus: unde Ecclesiastes, cap. II. ait: *Quid proderit homini de universa labore suo, et afflictione spiritus, qua sub sole cruciatus est?* Qui duos equos habet, ex æquo pabulum eis dividit: nos habemus corpus et animam, utrique ergo cibum deus suum cuique debitum.

Secundo, exigit hoc præmii cælestis incomparabilis excellentia. Quia: *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ paravit Deus diligentibus se.* Annon igitur decet, ut strenue pugnemus, et heroica facta designemus pro tam grandi præmio? Non quotidie parabinus aliquid meriti pro mercede æterna? Si enim otos dies, septimanas, menses, annos, sæculo

impendimus, et nihil spiritualis lucri facimus qua fronte, quo animo mercedem æternam expectamus, et aliquando petemus? Audi apostolum, II. Thess. III. *Si quis non vult operari, nec manducet.*

IV. Dierum etiam nostrorum facienda est divisio; operarii mundo dandi, feriales vero Deo: quoniam istos vocat Deus suos, Ezech. XX. *Sabbata mea violaverunt, etc.* et Exod. XXXV. *Septimus dies erit vobis sanctus*, id est, Deo dicatus. Demus itaque Deo, quæ sunt Dei; quod si fecerimus dabit etiam nobis Deus, quæ sunt nostra, victum et sustentationem. Hanc enim tamquam communis pater dabit, si quæ ipsius sunt, non abstulerimus: negabit vero diffidentibus et ex diffidentia operantibus. Quemadmodum Petrus non cepisset mergi, nisi dubitasset ambulans super mare: pari modo nos nihilo plus egeremus, si diebus festis a labore supersederemus, confisi in Deo. Sed quoniam Deo diffidimus, inde mergi et egere incipimus.

Quod si potiore temporis partem selegisset Deus ad servitium et cultum suum a nobis impendendam, esset fortasse, cur excusaremus. At nunc selegit sibi longe minorem.

V. Sed quid de substantia nostra? Nihilne Deo dabimus? Cur ergo omnes nationes etiam ethnicorum diis suis libabant de suis possessionibus? Certe Salomon duplo plus expensarum consumpsit in ædificatione templi, quam in ædificio domus propriæ, III. Reg. VI. Et cur Deus noster præcepit, Proverb. III. *Honora Dominum de tua substantia?* Quamquam non quærit bona nostra Deus, sed honorem suum, ut exiguum saltem offerendo partem pro more omnium, protestemur nos esse quasi feudarios ipsius, et ab ipso habere omnia.

Nulla adhuc lex extabat, quando Cain et Abel obtulerunt Deo, ille de fructibus terræ, hic de primogenitis gregis sui: natura sola instigavit eos ad hoc faciendum. Sed contra instat mundus, et opes omnes profundi in liberos, amicos, vestium splendorem, famulorum turbam, canes, moriones, fidicines, popinam jubet. Sed quam hoc iniquum est, quod profundas in mundum et vanitatem, et non habere quod communices Deo et ejus pauperibus? Et cui nam Dominus æquiparat talem hominem? Diviti illi stulto, qui dixit: *Anima mea, habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare*; nocte vero insequente audivit Deum sibi dicentem: *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te: quæ autem parasti, cujus erunt?* Subjicit enim immediate Dominus: *Sic est, qui sibi thesaurizat, et non est in Deum dives*, Luc. XII. Divites in mundum multi

quidem sunt: sed non item in Deum. Vis ergo non idem tibi evenire, quod contigit stulto illi, vide ut etiam erga Deum dives sis.

Id vero non solum æquum, verum tibi salutare quoque est; tali enim munere non tam debitum tuum reddis, quam Deum novo tibi beneficio obligas, ut centuplum tibi reddat. Provides etiam tibi in sæculum futurum. Certe si duas arces haberes, et in una hibernare deberes, nonne per ætatem eo præmitteres victualia, quæ ibi non habentur, vinum, frumentum, butyrum, etc. omnino id ageres. Atqui nos in cælo perennare cupimus: cur igitur non præmittimus partem nostræ substantiæ; siquidem dicit ap. II. Cor. IX. *Quia parce seminat parce et metet: qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet*, id est, liberaliter et largiter? Alioquin merito aliquando reprehendemur a Deo et toto mundo, quod cum tam facile mercari nobis cælum possemus, omiserimus. Turcicæ historiæ referunt, Turcarum imperatorem Mahometem, anno 1453. cum Constantinopolim cepit, comportari civium armillas, annulos et torques in unum cumulum (qui maximus evasit) medio in foro jussisse, visoque eo cumulo cum stupore, objurgasse cives, quod hoc auro non sint usi ad defensionem civitatis; si quidem eo facto nunquam occupanda fuisset. Simili modo Deus, cum aliquando capiet animas nostras in articulo mortis, objurgabit nos, quod tam inconsulto omnia nostra impenderimus, et nihil fere pro animarum nostrarum salute expendere voluerimus. Serve piger et ignave, dicet, quare non dedisti pecuniam tuam ad mensam (pauperum) ut cum fœnore eam reciperes?

At quid de illis dicemus, qui deteriora Deo offerunt? Scribunt veteres, viatorem fuisse, qui voverit e re, quem invenisset, dimidium Mercurio, porro sacculum invenit nucibus plenum. Ita que nucleos ipse comedit, cortices numini obtulit, quasi dimidium, quod vovisset. Tales hodie non paucos invenire est. Nonne vero cum his expostulare potest Deus, ut olim cum Caino, cui dicebat: *Nonne si recte offeras, non recte autem divides, peccasti?* ut habent Septuaginta, Gen. IV. Quod S. Ambrosius, Augustinus, et Chrysostomus sic exponunt: « Quia in recta divisione prima secundis, cælestia terrenis præferenda sunt: Cain autem primas sibi, secundas dabat Deo; ideoque non recte cum Deo divisit. » Quam multi autem tales, qui primam et meliora sibi, secunda et deteriora Deo dant? Primæ eorum cogitationes de lucro, de conviviis, de voluptatibus, et honoribus sunt; postremæ de Dei cultu, amore et honore: primi sermones de rebus novis et ludicris, de ludis, equis, canibus, vena-

tionibus, hastiludiis; ultimi de rebus piis et seriis: primorum labores, curæ et sollicitudines de victu et amietu; ultimi pascenda anima verbo Dei et sacramentis: primos et meliores juventutis dies mundi servitio impendunt; postremos et viliores senectutis, pietati et poenitentiae dicare volunt: meliora de substantia sua in pellices, gnathones, mimos et scurras effundunt, deteriora pauperibus abiciunt. Hocine non est nucleum comedere, et corticem Mercurio offerre? Recte quidem offerre, sed non recte dividere? Tu igitur, mi Christiane, ne Cainum imitare, sed Abelem, qui obtulit Deo primos et meliores fructus, de primogenitis gregum suorum et de adipibus eorum, etc.

CONCIO V.

IMAGO DEI IN HOMINE QUOAD MULTA.

I. Proprie est in mente hominis, secundum sex animæ dotes. Imago Dei naturalis. — II. Minus proprie in aliis prærogativis. — III. Impropriissime in structura corporis humani. — IV. Imago Dei supernaturalis in homine consistit in gratia.

THEMA.

Cujus est hæc imago? Matth. XXII.

In more habent domini, ut mancipiorum suorum frontibus inurant stigmata seu sigilla sua indelebilia, teste Cælio Rhodigino, l. VII. c. XXXI. quo nimirum ea in servitute contineant, et si forte aufugerint, e stigmatate deprehendant atque in ergastulum reducant. Creatus est homo a Deo, ut serviret illi, quia Deut. VI. Deus dixit: *Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies.* Quare ut forius hominem obligaret ad serviendum sibi, indelebile stigma ei impressit pulcherrimæ imaginis suæ, adeo ut si fugere conaretur, et alteri adhærere domino, hoc signo deprehendi posset et redargui tamquam fugitivus, denique ad dominum suum reduci. Sic enim David, Psalm. IV. ait: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Ita nimirum amavit Deus hominem, ut propria imagine eum insignierit, quo palam ostenderet, se hominis dominum et possessorem proprium esse velle. Sic generoso cani, quem perdere non vult dominus, circumdat collare suis decoratum insignibus. Hoc tamen nihil obstantæ, quam plurimi mortalium subducere se a legitimo suo domino conantur et adhærere alieno, imo nec in se agnoscere volunt imaginem Dei sui. Qui proinde ad speculum adducendi

sunt et interrogandi : *Cujus est hæc imago?* Quod in præsentī faciemus.

I. Imago Dei in homine duplex assignari potest; naturalis et supernaturalis. Naturalis tripliciter. Nam principaliter et proprie loquendo, consistit in mente hominis, sive in eo quod homo in summo rerum gradu sit, in quo est Deus et angelus: videlicet, quod sit naturæ intelligentis. Quatuor enim sunt generales gradus naturæ, et quatuor summa rerum genera. Alia namque solum habent esse, ut lapides et metalla; quædam præterea vitam, ut stirpes; nonnulla insuper sensum et motum, ut animalia; denique alia in summo gradu constituta præter hæc, mente, ratione et sapientia pollent: in quo tamen gradu infinita latitudo est, quia perfectio divini intellectus infinito intervallo major est, quam hominis aut angeli. Ex quibus patet, in solo homine Dei imaginem reperiri; in inferioribus creaturis non nisi vestigium quoddam: sicut fere in aureis et magnis monētis effigiantur principum imagines, in minoribus vero et vilibus insignia tantum. Omnis quidem creatura Deo quodammodo assimilatur: sed ad rationem imaginis requiritur similitudo secundum ultimum rei et propriissimum: non sufficit quæcumque, sicut ad rationem similitudinis unius hominis cum alio, non sufficit similitudo manus aut pedis; sed similitudo faciei et vultus. Quædam ergo creaturæ assimilantur Deo in esse, quædam in vita, quædam in sensu, alia denique in mente, quæ est quasi vultus Dei, ut Ps. IV. dicitur: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Quoniam igitur soli post angelum homini data est mens, qua vera et solida bona a falsis discernere et eligere potest, hæc apparet, quantum obligetur homo, ut sectetur justitiam, virtutes, Deum. Unde S. Augustinus. VIII. in I. ep. Jo. ait: « Ubi factus est homo ad imaginem? In intellectu, in mente, in interiore homine, in eo quod intelligit veritatem, dijudicat justitiam et injustitiam, novit a quo factus est, potest intelligere creatorem suum, laudare creatorem suum. Ideo multi cum per cupiditates malas detererent in se imaginem Dei, et ipsam quodammodo flammam intelligentiæ perversitate morum extinguerent, clamat illis Scriptura: Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus, hoc est dicere: Præposui te equo et mulo, te ad imaginem meam feci, potestatem tibi super ista dedi. Quare? Quia non habent feræ rationalem mentem, tu autem rationali mente capis veritatem, intelligis quod supra te est, subdere ei qui supra te est, et infra te erunt illa, quibus præpositus es. » Hæc Augustinus.

Porro hic gradus naturæ intelligentis sex dotes et eximias proprietates habet, in quarum modo una, modo alia ss. patres subinde hanc Dei imaginem collocant, partialiter scilicet et incomplete. Primo, anima rationalis est incorporea et invisibilis, uti et ipse Deus: et in hac collocat S. Augustinus in I. de ecclesiasticis dogmatibus. Tametsi vero incorporea et proinde invisibilis est anima, ejus tamen eximia pulchritudo ex affectibus deprehenditur, sicut et Dei pulchritudo ex pulcherrimis ejus facturis. Quid enim est, quod facit corpus hominis ambulare, currere, luctari, loqui, ridere, ludere, canere, pulsare organa, videre, ratiocinari, etc. nonne anima? Quid est, quod facit id tam formosum et aspectu gratum ac gratiosum nisi anima? Quid, enim corpus sine anima? Omnis igitur pulchritudo corporis, mutuata est ab anima: sicut omnis pulchritudo creaturarum et perfectio a Deo; ut proinde ipse fons sit omnis pulchritudinis. Porro in rerum natura experimur, quo subtiliora et magis spiritualia sunt elementa, eo altius ferri et majori cum impetu ascendere: ideo ignis qui est maxime subtilis et quasi spiritualis, supremum sibi inter elementa locum vindicat, eoque maximo fertur impetu. Quoniam ergo anima purus est spiritus, sursum petit, et cælestem habitationem quærit, sicut terreum corpus terram. Unde qui terrena sectantur, animæ suæ violentiam inferunt, eamque velut ignem in specum recludunt, qui toto impetu conatur erumpere. Et hinc est, quod cor nostrum semper inquietum est in terra, donec requiescat in Deo, quia hic est in exilio et peregrino loco, patriam in cælo habet. Unde David: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et requiescam?* Qualis igitur pœna erit, cum spiritus cælo natus, detrudetur in profundum inferni, et ibi æternum alligabitur? Cum filius tanti patris prodigus videbit se esse inter porcos? Angustiatur noster spiritus in terrena habitatione, velut piscis extra aquam, et nullibi reperit quietem: magis adhuc angitur et reclamatur, cum deprimitur per peccatum ad terrenas cupiditates; quantum igitur angustabitur, cum deprimitur ad infernum? Atque hinc existit pœna damni in inferno.

Secundo, est immortalis, uti et Deus: et in hoc collocat rationem imaginis Origenes, ut refert Beda, in expos. allegorica libri Gen. Deus quamvis in hoc mundo sit, non tamen ab eo dependet, nec interit, etiamsi cælum et terra rarent: similiter anima rationalis etsi in corpore sit mortali, eo tamen moriente, non moritur. Et hinc Dominus securos nos esse jubet a persecutoribus quibuscumque: *Nolite timere eos, inquit,*

qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Quis enim non lætus et securus incederet inter latrones, si sciret sibi plus ab iis auferri non posse, quam vestem? Et propterea ss. martyres intrepidi prodierunt in conspectum tyrannorum, quia noverant sibi vitam animæ eripi non posse. Quod si immortalis est anima, quemadmodum et Deus, Deo igitur debetur, quoniam ipse est fons vitæ; et cælo, ubi sola vera est vita. In inferno enim non nisi mors est, hoc est, vita miserrima et ipsa morte tristior: ubi optabitur mors, et non obtinebitur. Quam solliciti ergo debemus esse pro anima nostra, ut eam tuto et bono loco reponamus, quoniam ubi reposita fuerit, ibi æternum manebit. Qui per unam noctem cubituri in lecto sumus, primus eum sternimus, vel sterna nobis facimus, ut vel paucis horis suaviter quiescamus: quod ipsum, natura instigante, canis facit. Quid ergo non diligentia adhibendum, ut animæ nostræ lectum bene componamus, in quo æternum jacebimus? Erit sane ille vel mollis gloriæ culcitra; vel carbones inferni ardentis.

Tertio, est intellectu, memoria et voluntate prædita: sicut in deitate est Pater, Filius et Spiritus s. in quo ponit imaginem Damascenus. Ea vero perfectius cernitur in harum potentiarum actibus; sicut enim Deus Pater per intellectum se cognoscens producit Verbum, puta Filium, eumque amando, producit una cum ipso Spiritum sanctum; ita homo intelligendo se producit in mente sua verbum intelligibile, sui ipsius expressivum sibi simile, atque inde prodit in voluntate ejusdem amor, ita S. Augustinus, I. X. de Trinit. c. X. Hæc ratione adumbrat homo in se duas in ss. Trinitate processiones, unam Filii per modum verbi intelligibilis, alteram Spiritus sancti per modum amoris: præsertim vero, ut notat S. Augustinus. I. XIV. de Trinit. si homo cognoscat Deum et amet, tunc enim proprie in anima Dei imago resultat. Et quidem si ad Dei imaginem has dotes accepimus, æquum est, ut finem destinatum eis utamur; intellectum non in mundi vanitatibus, mendaciis, fraudibus et nugis, sed in contemplatione divinarum et honestarum rerum occupemus: quemadmodum Deus perpetuo versatur in contemplatione summi boni: voluntate non in creaturarum, sed in Dei amorem feramur, quomodo ipse Filium per Spiritum s. amat; memoriam in divinarum beneficiorum recordatione firmemus. Alioquin si intellectum, memoriam et voluntatem nostram deflectamus ad terrena, jam peregrinam imaginem imagini divinæ superinducimus. Speculorum similis est anima nostra, qualem ei imagi-

IV. PARS ÆSTIVALIS.

nem opposueris, talem ipsa representabit. Stautis intellectum, memoriam et voluntatem tuam ante Bacchum? Bacchum representabunt: ante Venerem? Venerem representabunt: ante mammonam? Mammonam representabunt: ante Deum? Deum representabunt.

Quarto, est liberi arbitrii et dominus sui suorumque actuum. In quo ponit imaginem Dei, Ambr. I. VI. hexam. c. VIII. Damasc. I. II. orthod. fid. c. XII. Sicut enim Deus omnium Dominus est, et a nemine cogi potest: sic et homo a nulla creatura potest cogi: gladium libertatis habet Deus, gladio etiam libertatis accinxit hominem. Non solum concessit eis Deus mundum universum, sed etiam ut sui ipsius dominus esset; quia dixit Caino: *Subter te erit appetitus tuus.* Ut ergo magnum est privilegium, si quis immediate soli summo pontifici subjaceat, et ab omni alia inferiori jurisdictione exemptus sit: ita maximum est hominis privilegium, libertas, cui præter Deum vim aut necessitatem inferre potest. Quare cum natura liber factus sit homo, turpissimum ipsi est, si se voluptatibus, scortis, diabolo denique subjiciat et captivum det: sicut Samson qui cum omnia vincula rupisset, nec ligari posset, Dalila se ligandum præbuit, in cujus sinu dormiit, et robur suum deposuit. Audi S. Basilium, hom. X. in hexam. « Animal utique es, o homo, inquit, imperio natum: ecquid miseram hanc affectuum servis servitutem? Ecquid te dedis peccato in vile mancipium? Cur tua præsponte mancipas te, et captivum constituis diabolo? Jussit te Deus in creaturis principem locum tenere; et ecce tanti principatus dignitatem a te excutis et repellis. Sed servus vocatus es? En habes rationem, vitiosus omnis affectus plane dominatricem, etc. » Sic ille. Certe avicula, cui natura libertatem dedit, cum in caveam mittitur, nunquam fere interquiescit, semper exitum quærit: multo acerbior est animæ captivitas, cum diabolo per peccatum mancipetur: sed quanto tristior erit homini servitus inferni, cum perpetuo perditissimis spiritibus subesse eidem loco affixus, hære et acerbissimis pœnis subjectus esse debet?

Quinto, est capax virtutis, sapientiæ, gratiæ, gloriæ et omnis boni: quemadmodum omnis bonitatis plenitudo est divinitas. Et in hoc ponit imaginem Dei, Nyssenus in hexam. Sicut etiam Deus non potest satiari ulla re nisi seipso: sic et animæ capacitas nequit impleri, nisi ipso Deo. Unde S. Macarius, hom. XLIII. ait: *Sicut pupilla oculi, cum sit exigua, tamen est vas ingens, quoniam intuetur una cælum, astra, solem, lunam, nubes et alias creaturas, etc. hoc pacto se habet*

mens in corde. Ut ergo oculus omnium in se rerum species recipere potest, sic et anima hominis omnia bona. Et sicut oculus visa semel aliqua re, mox aliam videre desiderat, nec satiatur unius rei creatæ aspectu; ita et animus hominis nulla re creatæ satiari potest. Quare cum capaces simus summi boni, et ad id percipiendum facti; cur relicto illo, nugas quærimus? Annon stultus foret filius, qui cum prodigo illi impatiens moræ donec tantam hæreditatem adeat, petit vel eligit sibi portionem substantiæ suæ, et in taberna prociigit? Nihilo plus sapit, qui modica voluptate præsentis contentus, summum bonum futurum negligit.

Sexto, est domina et imperatrix super omnia animantia, sicut Deus omnium rerum Dominus est. Et in hoc ponit imaginem, Basil. hom. X. in Gen. Et hanc rationem indicasse videtur Deus, cum dixit: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram et præsit piscibus maris, et volatilibus cæli, et bestiis, universæque terræ.* Propter hanc etiam rationem ait apost. I. Cor. XI. imaginem Dei esse in viro, non in muliere; quia scilicet vir nemini subsit, mulier autem subsit viro. Datum ergo est homini plenum dominium super animantia, ut posset animalia capere, coercere, et sine injuria occidere ad sui recreationem vel sustentationem. Quod vehementer admirans David, ait: *Domine quid est homo quod memor es ejus? Constituisti eum super opera manuum tuarum: omnia subiecisti sub pedibus ejus oves et boves, etc.* Positus enim est homo velut Dei vicarius et prorex in mundo super omnes creaturas. Unde in evangelio vocatur a Christo Dei *villicus*. Et quidem hujus domini usum plenum habuit homo ante peccatum, omnia animalia ad nutum homini parebant: post peccatum vero usus ille majorem in modum immiutus est. Ex quo enim homo rebellavit Deo, cœperunt et quam plurima animalia rebellare homini, ut nonnisi magno labore et industria coerceri et capi queant: cujusmodi duo potissimum genera sunt, ut annotavit Hugo de S. Victore, in annotat. super Gen. maxima scilicet ut leones, tigrides, pantheræ; quo homo intelligeret se illa excellenti potestate, quam a Deo acceperat, fuisse privatum: deinde, minima et vilissima, uti muscæ, pulices, etc. ut hinc colligeret, quantam in vilitatem propter peccatum delapsus et abjectus sit. Quam ob rem Deus ut puniret Ægyptios, non misit in eos leones aut tigrides, sed muscæ, cyniphes et locustas. Elucet nihilominus in hac punitione, Dei erga hominem bonitas; siquidem ejus obedientiæ ea tantum subtraxit animalia, quæ ad declarandam magis dignitatem et excellentiam hominis quam ad

ejus utilitatem pertinebant, ut sunt magna et sæva animalia; reliquit autem ei, quæ emolumentum vel ornamentum aut oblectamentum illi afferre poterant. Cæterum quia horum villicus est homo, audiet aliquando a Deo: *Redde rationem villicationis tuæ.*

II. Minus proprie imago Dei est in homine multipliciter. Primo, quia sicut Deus continet in se eminenter omnes creaturas, sic homo omnes rerum gradus, essentiam inanimatorum, vitam stirpium, sensum animalium, mentem angelorum ac Dei: et hinc dicitur microcosmus. Habet in se mixta in anima, ut ungues et pilos; animata non sentientia, ut ossa et dentes; sentientia rationis expertia, ut carnem et nervos; mentem denique intelligentem. Continet præterea in se rationalem et irrationalem naturam, visibilem et invisibilem, mortalem et immortalem, quia sicut Deus est omnipotens: ita modo suo et homo, vel per artem imitando naturam et similia veris faciendo, vel imaginatione fingendo, vel cogitatione mentis efformando. Quid enim non excogitat humana industria? Quas feras, quas aves non novit capere? Potest etiam homo homini esse Deus, sicut est quodammodo animalibus domesticis: potest proximos suos alere, instituere; sapientes, denique beatos facere. Potest cognoscere, et alteri insinuare longe dissita per litteras, et ita loqui ad plurima milliaria. Potest cœlestium globorum motum, terram uni aspectui representare in mappa: tonare per tormenta. Archimedes incendit naves longe distantes per speculum, fecit columbam volantem; Albertus Magnus statuam loquentem; alii alia.

Tertio, sicut Deus est finis rerum omnium, sic et homo quodammodo est finis omnium rerum corporearum: siquidem omnia propter ipsum facta sunt. Si enim cœlestes globos et astra, quæ in rebus corporatis principatum dignitatis obtinent, in ministerium et servitium hominis condita esse dixit Moyses, Deut. IV. quanto verius idem de aliis rebus corporeis dici potest? Certissimum namque est, Deum pro deliciis suis non creasse hunc mundum, siquidem ante ejus creationem æque fuit semper beatus et gloriosus et post. Nec pro angelis quia spiritus puri non egent rebus corporalibus: nec pro bestiis, quia non decebat tam ingentem et artificiosam molem facere pro iis, qui eam discernere, mirari, laudare, et voluptatem in iis capere non poterant. Absque homine igitur frustra esset mundi opificium, sicut domus omni supellectile instructa: si non esset qui eam incolere et utensilibus ejus uti posset.

Quarto, sicut animus hominis præest ac præ-

silet corpori, ipsum vivificans, movens ac regens, estque totus in toto corpore et totus in qualibet ejus parte, sine ulla sui divisione, diminutione aut inquinazione: sic et Deus habet se ad universum mundum, omnia vivificans, movens et gubernans, sicut apostolus confirmat, quia: *In eo vivimus, movemur, et sumus.* Et in hoc ponit Dei imaginem Ambrosius, I. de dignit. condit. hum. Vis igitur intelligere, quomodo Deus mundum rogat? Vide quomodo anima regat corpus, simul enim movet pedes ad ambulandum, et manus ad laborandum, et linguam ad loquendum, et oculos ad videndum, et alia adhibet ad aliorum ministeria. Vis scire, quomodo cum omnibus agentibus Deus operetur. Vide quomodo anima omnia membra moveat, et cum omnibus operetur. Vis scire quomodo Deus sit ubique totus? Vide quomodo anima sit tota in toto corpore et in quavis ejus parte.

Quinto, sicut Deus Pater est ingenitus, Filius ex Patre genitus, Spiritus s. a Patre et Filio procedens, sic in genere humano, Adam a nullo generatus est, Eva ex Adamo, Seth ex Adamo et Eva.

III. Impropriissime imago Dei est in homine, ratione fabricæ corporis, ut vult S. Augustinus, LXXXIII. quæstion. q. LXXXI. et c. XVII. prioris libri de Gen. contra Manichæos, quatenus scilicet corpus hominis ita est conformatum figuratumque ut evidenter ostendat, animum qui in ipso est, ad imaginem Dei esse factum. Recta namque statura et erectus in cœlum vultus perspicue indicant animum ejus habitatorem, Dei similem et æternitatis esse capax; sicut palatium in civitate magnifice extractum indicat magnum esse ejus incolam et primatem? Unde Augustinus, c. XII. l. VI. de Gen. ad lit. ait: *Congruit ergo et corpus hominis animæ rationali, non secundum lineamenta figurasque membrorum, sed potius secundum id, quod in cœlum erectum est, ad intuenda, quæ in corpore ipsius mundi superna sunt: sicut anima rationalis in ea debet erigi, quæ in spiritualibus naturarum maxima excellent; ut quæ sursum sunt sapiat, non quæ super terram. Cælo ergo nati, cœlo creati sumus, hic finis, hic scopus noster, ab hoc si aberremus, frustra homines sumus, frustra solem cœlumque suspicimus; satius foret bruta aut saxa fuisse: sin assequamur, terque quaterque beati. Atque hic nobis æque ac S. Bernardo perennis sit stimulus ad vitam puram et sanctam: *Bernarde dic quare hic? Cur cœlum suspicis? Cur animam rationalem et corpus erectum accepisti? Unde anthro-**

pos Græce dicitur homo, id est, contemplans seu sursum aspiciens. Destruunt imaginem Dei in se, qui se in terrena curvant.

IV. Altera Dei in homine imago, supernaturalis est: et consistit in gratia, qua is divinæ fit consors naturæ præsertim in visione beatifica. Et hæc imago est prioris consummatio et perfectio. Imago naturalis est quasi Dei in homine rudis delineatio carbone vel atramento descripta: supernaturalis vero est ejusdem illuminatio vivis coloribus virtutum, gratiæ et gloriæ expressa. Per naturalem homo est adhuc quasi nudus, per supernaturalem pulchre vestitur. Et hanc acquirit homo per justificationem, perdit per peccatum, possident soli justis. Quemadmodum igitur nudus homo desiderat vestem; sic imago naturalis desiderat supernaturalem, sine qua nuda imago est. Hæc enim illa vestis nuptialis est, quæ si non quæretur et habeatur, Deum ad iracundiam provocat et hominem in tenebris ejicit. Propterea apostolus clamat Eph. IV. *Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.* Hanc justus indesinenter perpolire debet, et efformare ad exemplar Christi, ad cujus vitæ normam quanto magis accesserit, tanto magis perficiet imaginem suam, Deoque placitam reddet. Sed heu quam multi deturpant naturalem Dei imaginem in se, cum ei peccata superinduunt? Id lamentatur Jeremias, Thren. IV. dicens: *Denigrata est super carbones facies eorum, et non sunt cogniti in plateis.* Revera isti bacchanalia diaboli agunt, quia naturali Dei imagini, quam in se gerunt, quamque ornare supernaturali velut eximia veste deberent, superinduunt imaginem diaboli horridissimam, ut merito interrogare seipsos deberent: *Cujus est hæc imago: ne alioquin in judicio audiant: Amen dico vobis nescio vos, non agnosco vos, quia non geritis imaginem meam, sed alienam et diabolicam.*

Perspeximus igitur non una ratione Dei imaginem esse in homine. Superest igitur ut juxta Christi argumentum concludamus: Quandoquidem imaginem Dei in vobis geritis, o homines, ac per hoc testamini vos Deo subjectos esse: *Reddite ergo quæ sunt Dei Deo.* Date vos Deo sicut mancipium datur hero suo ad serviendum, sicut miles duci ad obsequendum, sicut discipulus magistro ad instruendum, sicut imago pictori ad illuminandum cœlestis lumine gloriæ.